



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 30. Bona Ecclesiastica per Angliæ Reginam restituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

possidere; præcipue cum Henricus II. Galliarum Rex nil intentatum, inausumqne relinqueret, ut hanc dignitatem Episcopo Sancti Populi procuraret: quamvis Pontifex istum ad hunc honorem evehere minus consultum censeret.

Sæcul. XVI.A.C. 1555.

## §. XXX.

*Bona Ecclesiastica per Angliæ Reginam restituta.*

Cum Paulus IV. variis hinc inde tū-  
multibus agitaretur, tandem non si-  
ne animi sui solatio nuntium accepit,  
quod Maria Angliæ Regina suum Sena-  
tum eo adegerit, ut bona Ecclesiastica  
ærario Regio addicta restitui annueret.  
His ita sanctis exacte in eos, qui Ec-  
clesias, vel Monasteria deprædati fue-  
rant, inquire jubebat, præcipue vero in-  
quisitio fiebat in illos, qui sub Henrīci  
VIII. regimine visitandis ejusmodi mo-  
nasteriis suam operam locabant. Ho-  
rum non pauci criminum suorum impu-  
nitatem ingenti pecuniarum summa re-  
dimere, atque exorare compellebantur:  
Itaque quantum intra tam breves tem-  
poris angustias licuit, omnes Universi-  
tates sanam doctrinam tradere, Templa  
ornari, ac reparari, Altaria erigi, & sa-  
crari, necnon nova Collegia amplis re-  
ditibus augeri conspiciebantur, imo ut

*Burnet hist.**Ref. tom. 2 p.**473. & 477.*

Q 2            paucis

**Sæcul. XVI.** paucis omnia absolvantur, plura Benedic  
A.C. 1555 tinorum, Cisterciensium, Brigittinorum,  
 Dominicanorum, Observantium, alio-  
 rumque Ordinum Religiosorum Mona-  
 steria rursus ergebantur.

## §. XXXI.

*Annatarum solutio per Senatus de-  
 cretum sancita.*

Die vigesima prima Octobris Regius  
 Senatus habebatur, in quo tamen  
 haud alia graviora decernebantur nego-  
 tia, nisi quod ibidem quoddam conde-  
 retur decretum, vi cuius approbata, &  
 confirmata fuit abdicatio, qua Regina  
 se nunquam primos beneficiorum fru-  
 ctus, vel decimas percepturam sponde-  
 bat. Evidem ea agendi ratione Com-  
 munis, ut vocant, Curiæ Patres sibi  
 haud propitios reddebat; postquam e-  
 nim in inferiori Curia propositum fue-  
 rat, utrum Reginæ quædam pecuniarum  
 summa concederetur, illi reposuerunt,  
 quod Regina ditandis Ecclesiasticis in-  
 tenta potius a Clero ejusmodi subfida  
 petere debuisset: dum vero hujus rei  
 rumor amplius divulgabatur, Petra, qui  
 Regi a sanctioribus consiliis erat, Com-  
 munis Curiæ Patribus significabat, quod  
 Regina ob primam eorum propositio-  
 nem de conferendo subfido grates qui-  
 dem rependat, de cetero autem conten-

ta